

breviores, nigrae, articulo primo clavato, secundo minuto, tertio elongato, reliquis obtrigonis. Thorax transversus, lateribus rotundatus, basi coarctatus, ater, nitidus, profunde punctatus, plagis tribus dorsi laevibus. Scutellum atrum. Coleoptera thorace haud latiora, oblonga, plana, lateribus marginata, medio obtuse longitudinaliter elevata, punctata, apice truncata, flava, plaga oblonga communi dorsali apiceque atris. Corpus subtus nigrum, griseo-pubescentis, abdominis segmentis margine albido ciliatis.

685) *CALLIDIUM INSUBRICUM Ziegleri*: punctatum, atrum, elytris coriaceis, aeneis. Habitat in Italia.

Statura Call. violacei sed multo majus, *C. clavipes* adhuc superans. Caput canaliculatum, atrum. Antennae corporis longitudine nigrae, articulis primis apice subtus spinosis. Thorax transversim ovatus, planus, vage punctatus, ater. Coleoptera plana, apice magis deplanata latiora, coriacea, atro-coerulea, aeneo-nitidula, lineis utrinque duabus elevatis. Corpus subtus atrum. Pedes atris, femoribus subito et valde clavatis.

686) *CALLIDIUM MACROPUS Ziegleri*: thorace spinoso, hirtum, punctatissimo, atrum, opacum, elytris planis, punctato-rugosis. Habitat in Austria, Curonia.

Magni-

Magnitudo et statura Call. femorati. Caput punctatissimum, atrum, opacum, palpis piceis. Antennae maris corpore longiores, feminae subbreviores, nigrae, pilosae. Thorax transversus, lateribus in medio angulato-dentatus, undique profunde et confertim punctatus, hirtus, ater, opacus. Elytra plana, thorace haud latiora, confertim rugoso-punctata, atra, opaca. Corpus subtus cum pedibus atrum, femoribus valde clavatis.

687) *CALLIDIUM SANGUINICOLLE*: hirtum, atrum, thorace subgloboso, sanguineo, elytris punctatis. Habitat in America septentrionali.

Statura fere Call. amethystini, sed duplo majus. Caput cum antennis hirtum, punctatum, atrum. Thorax subglobosus, hirtus, punctatus, sanguineus, nitidus, margine antico et postico nigris. Coleoptera subcylindrica, profunde punctata, hirta, atra, nitida. Corpus subtus atrum, tarsorum posteriorum articulo primo valde elongato.

688) *CALLIDIUM MINIATUM*: thorace subgloboso, hirtum, punctatum, rufum, nitidum, antennis tarsisque atris. Habitat in America septentrionali.

Statura praecedentis, sed dimidio minus. Caput exsertum, thoracis margine antico latius, rufum, antennis atris. Thorax subglobosus,